

*Dachwortheholt.* *Jortheholm.* *Bothorp.* *Stenhas.* *Almsruth.* *Dimidium Toteholt* cum silvis & pratis & coeteris ad se pertinentibus. *Stenholt* cum villulis suis *Groneholt.* *Thorthethorp.* *Sunspfialholt.* *Birsethorp.* *Mulneholt* cum silvis & pratis & piscationibus suis. *Saxolfsthorp* cum silvis & pratis & piscationibus suis. *Mothorp* in *Hallandia* cum silvis & pratis & coeteris attinentiis suis. Tertia pars decimæ totius parochiæ *Esbjörnsthorp*, qvam nos eis perpetualiter dedimus. Si qvis igitur sciens hanc nostræ constitutionis paginam contraire temptaverit, si non propriæ temeritatis audaciam corrigere condigna satisfactione voluerit, tranquillitatis & pacis religiosorum fratrum perturbator, excommunicationis vinculo innodatus, sancti Spiritus mucrone perfoſſus intereat, atqve cum judicij dies advenerit, extremæ dampnationi subjaceat. Cunetis autem eidem loco sua jura servantibus sit pax Domini nostri Jhesu Christi, qvatenus & hic fructum bonæ actionis percipient, & apud districtum judicem prœmia pacis æternæ inveniant. Amen.

91.

1180 — 1192.

Abboten WILHELMUS Bref till Abboten Hugo för JOHANNES Abbot i Lund.

K. k. 6: 62. n:o. 50.

*Præmonstratensi Abbatii.*

Amantissimo Patri & D. Hugoni Dei gratia Præmonstratensi Abbatii, Frater WILHELMUS Beati Thomæ de Paraclito minister indignus, intimum dilectionis affectum. Dilectio, qua nos quondam invicem dilexisse probamus nos ad scribendum constanter impellit, quæ non renovari recentioribus possit officiis, quia, nisi fallimur, nullo tempore consenescit. Neque enim fas est studium torpere, quod æqua benignitas compensatione gratiæ muneratur. Pro venerabili autem fratre & Coäbbate nostro Johanne de domo Sanctæ Trinitatis in Lundis suscepimus apud clementiam vestram agendum, quia quem benignioris familiaritatis gremio confovemus, nec precibus ejus nec necessitatibus deesse volumus vel debemus, maxime cum ejus opinio a justitiæ tramite non excedat. Vir siquidem simplex & rectus est & recedens a malo. Nec apud paternitatem vestram eum velut ignotum commendamus, qui de vestri testimonii plenitudine gloriatur. Quod si forte quispiam auribus vestris quidpliā intulerit. Ore blasphemō, quo lædi debeat ejus opinio ad vestram memoriam veniat, quod beatus Jeronimus dicit; mendaces faciunt,

XAND. III:s af d. 2 Nov. 1179 (K. e. 1: 259) med samma ord; Påfv. CLEMENS III:s af år 1188 (a. st. sid. 277.) och CELESTIN. III:s af år 1192 (a. st. s. 281): Mothorp in Hallandia & Glumstenewig. cum villis. pratis. silvis &c. reliquis appendiciis suis; Påfv. GREGOR. IX:s af d. 22 Febr. 1228 (a. st. s. 108.) blott: de Mothorp; Bisk. PETER i Roskild af år 1211 (a. st. s. 90 jemf. Ärke-B. ANDREAS i Lund s. å. a. st. s. 92): Mothorp in Hallandia cum siluis. pratis. aquis. & pictionibus. & omnibus attinentiis in terra & circa mare iuxta Glumstenewit & quicquid ibidem habituri sunt iustis emptionibus & fidelium largitionibus.

ne credatur vera dicentibus. Quod nec minus habet in operum & ostensione virtutum, non ejus negligentiae vel culpæ debetis id ipsum adscribere, sed vitio & malivolentiæ eorum, qui debuerant ejus onera supportare tum vestro amore tum religionis honore. Sed quid dicit Apostolus? Non omnium est fides. Fidelia autem Deus, qui non patitur suos tentari supra id quod possunt. Et hæc quidem, quæ loquimur, a viris religionis excepimus, qui condolent super contritionem Joseph. Unum est igitur, carissime Pater, quod & rogamus, quod & supplicamus, ut honori ordinis vestri providentes malos tollatis de medio, per quos domus defamatur, per quos ut audivimus, domus substantia deperit, & confunditur ordo. Novimus, Pater carissime, si tamen, (quod loquimur præsumptionis notæ non velitis adscribere) quod quædam personæ, quæ ordinis vel Ecclesiæ vestræ columnæ videntur existere, talem & tantam prenominati viri personam, immo cum ipso totam domum suam sicut & nos nonnunquam ab ipsis accepimus persequi & corrodere dente canino non desinant, quæ etiam, si qua in eis inesset infirmitas, ad publicum certe proferre non debuissent, maxime cum unius membra læsio totum corpus respiciat. At vero, si quod absit, vestræ discretionis examen animositatem contradictorum atque rebellium in eadem domo non reprimat, Dominum Archiepiscopum, cuius est frequens & sollicita circa domos religiosas industria, noveritis manus scelerum ultrices apponere & mediante judicio prædictæ domus enormitates sollicitudine paterna corrigere. Væ igitur eis per quos scandalum venit. Qui autem sunt illi? sine nostri sermonis excursu plenius a commeante discetis.

92.

1182 — 1183. \*)

Abboten WILHELM'S Bref till Prior LAURENTIUS i Kungelf.

K. k. 6: 55. n:o 39.

*Ad Priorem de Cunungelle.*

Dilectis in Christo Laurentio Priori, & Enrico cæterisque in Coninguhelle Canonicam vitam professis frater Willelmus Sancti Thomæ de Paracclito minister indignus sic currere ad bravum vocationis supernæ, ut comprehendant. Nostis, carissimi, (scientibus enim loquimur) quod animi, qui veraciter amoris legibus astringuntur, nullo maris discrimine, nullo terrarum spatio discutiuntur. Nec diffitemur, immo verius astruimus, quod sicut ignis olei perfusione validius inardescit, sic amor, si subtrahitur nonnunquam præsentia corporalis, ne mutuis foveatur alloquiis, scriptis tamen recentioribus incalescit. Inde est, quod absentes corpore spiritu præsentes præsentia vobis offerimus, ne vel apud vos concepta dilectio consernescat, vel occasione distantium corporum vis amoris fortasse languescat. Nuper-

\*) Dessa årtal uppgifvas af Langebek och Bartholin.